

stantinopolitanum Imperium respiciunt, sed ita *obscura & disjecta*, ut intelligi non possint, nisi historicorum lectione prævi-  
am status notitiam acquisiveris.

Cap. 4. accedit ad *jus privatum*; & *jus personarum* strictim perlustrans ostendit, quot inutilia ibi habeantur quoad statum *liber-  
tatis, jus filiorum fam. arrogationes, matrimo-  
nia, tutelas*. Quot contra *omissa* sint, quæ ho-  
die magnam juris partem faciunt; quæ ne-  
gligere, & *antiquas fabulas* addiscere perin-  
de sit, ac si sacerdotes novitios suos *ideo doceant*  
*in supplicationibus solennibus saltare*, quod *Salii*  
*Romani* olim facere consueverint.

Cap. 5-7. enumerat doctrinas *inutiles*  
circa *jus in re*; nempe distinctionem in-  
ter res *mancipi & nec mancipi*; inter domi-  
nium *Quiritarium & bonitarium*, item diver-  
sos illud acquirendi modos: *mancipationem,*  
*cessionem in jure, usucapionem*; varios modos suc-  
cedendi ab intestato perinde, ac ex Testa-  
mento; item inutilia circa *fidei commissæ*  
& *jus accrescendi*.

Cap. 8. idem peragit in doctrina de *obli-  
gationibus & jure ad rem*, ac in primis *stipu-  
lationum formulis* in omnibus contractibus  
adeo dominantibus, ut *laniones bovem vel ca-  
pram emturi, libellos formularum à Manilio con-  
scriptarum usurparent & in marsupio portarent*.

Cap.